

«Dubium autem est; an illic Antichristus interficiendus sit ab ipsomet Christo, corporaliter illuc adveniente, ut volunt Damascenus (libro 4, capite. 27) et Anselmus (2 ad Thessal. 11): An vero ministerio Angelico, ex Christi imperio, ut vult Divus Thomas (2 ad Thessal. II, Lect. 2). Nam Damasceno et Anselmo suffragatur modus loquendi Isaiae et Apostoli; scilicet quoad Christus *spiritu labiorum suorum*, seu *spiritu oris sui*, id est, efficacitate suae vocis, interficiet Antichristum et *destruet illum*, *illustratione* ac fulgore suae praesentiae et adventus, ad modum, scilicet, quo, voce et splendore suo, convertit et postravit Paulum.

«Divo autem Thomae suffragari videtur Daniel, qui statim ac dixit in fine, cap. XI. *Veniet usque ad summitatem ejus, et nemo auxiliabitur ei*; subjunxit in capit. XII. *In tempore illo consurget Michaël, Princeps magnus*, etc. Itaque quod ait Apostolus, *Spiritu oris ejus* etc., interpretatur D. Thomas significare non vocem sed *praecipuum* Christi, quod dabitur Michaëli Archangelo de interficiendo Antichristo. Et quod Apostolus ait: *Destruet eum illustratione adventus sui*, interpretatur de morte secunda, quam inferet Antichristo Dominus per sententiam damnationis in judicio. Sed quamvis ista sententia D. Thomae improbabilis non sit; tamen videtur sententia Damasceni et Anselmi Scripturae conformior, neque habere ullum incommodum.»

Prob. 1.^o Apostolus ait (1): *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet* (ἀναλωσει, consumet) *spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui*.

S. Joan. (2), descripta majestate adventus Christi, dicit: *Et vidi bestiam et reges terrae et exercitus eorum... Et apprehensa est bestia et cum ea Pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiae... Vivi missi sunt in stagnum ignis ardentis sulfure; et caeteri occisi sunt de gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius*, scilicet Christi. Daniel (3) etiam praedixit; omnem potestatem in terra Christo tradendam, et tunc *Antichristi* et iniquorum regnum conterendum prorsus.

312. 2.^o Hieronymus (in Dan. c. VII, v. 11) ait. «In uno Romano imperio, propter Antichristum blasphemantem, omnia simul regna delenda sunt; et nequaquam terrenum imperium erit, sed sanctorum conversatio et adventus Filii Dei Triumphantis, de quo dicitur: *Et ecce in nubibus caeli quasi Filius hominis*.»

(1) II Thessal. 11, 8.—(2) Apoc. XIX, 19, 21.—(3) VII, 14, 26.

Augustinus (1), dicit: «Eam plagam, qua percutiendi sunt Ecclesiae persecutores, veniente jam Christo, quos viventes inveniet super terram, quando interficiet Antichristum spiritu oris sui, non esse ultimum supplicium impiorum.»

Damascenus ait quoque (2): «Antichristus, in regni quidem sui, vel tyrannidis potius, praeludiis, bonitatis speciem prae se feret. Cum autem rerum potitus fuerit, tum Ecclesiam Dei persequuturum... Ac tum Dominus... quemadmodum sancti Apostoli in coelum euntem viderunt, hoc est, Deus perfectus et homo perfectus, cum gloria et potentia veniet, ac peccati hominem, perditionisque filium oris sui spiritu interficiet.»

S. Chrysostomus, eodem loquitur sensu (3): «Antichristus vacans invadet imperium, hominumque et Dei imperium aggredietur rapere. Sicut Medorum imperium a Babyloniis, Babylioniorum a Persis, Persarum a Macedonibus, Macedonum a Romanis; ita hoc quoque ab Antichristo, et ille a Christo (vertetur) et non amplius retinebit. Et hoc cum magna evidentia nobis tradit Daniel... sicut enim ignis si tantum invaserit parva animalcula, ante suum adventum, etiamsi sint procul, torporem injicit et consumit: ita Christus quoque, jussu solo et praesentia, Antichristum de medio tollet.»

Pars III.^a probatur.

313. Primo nota: cum Dominus Antichristum ejusque exercitus ac regnum deleverit, non statim locum habebit mortuorum universalis resurrectio et mundi finis. «Debemus firmissime credere, ait B. Alcuinus (4), in libro *de vita Antichristi*, quod cum Antichristus occisus fuerit, non statim veniet ad judicium Dominus... Quantum temporis spatium postea fiat, quamvis arbitror quod nullus sit qui sciat, sed in dispensatione Dei maneat, qui judicabit saeculum per ignem... tamen Augustinus in ep. *Nolumus vos ignorare*, multa declarat, et Hieronymus in ep. ad Minervium, dat nobis magna scientiae documenta.» Et quidem S. Joannes in Apoc. (c. XX) a morte Antichristi ad generalem resurrectionem longum constituit tempus, sub voce *mille annorum*. Daniel autem (c. XII, v. 12) significat faustissima, expleto aliquo temporis spatio, post Antichristum eventura; uti et Hieronymus (in Dan.) notavit: «Quare autem post interfectionem Antichristi, quadraginta dierum silentium sit, divinae scientiae est.» Illa sane interfectio Antichristi et exercituum ejus, atque iniquissimi imperii subversio, initium

(1) *De civit. Dei*, l. 20, c. 12.—(2) L. 3, c. 27.—(3) In epist. 2.^m ad Thes. c. II, hom. 4.—(4) Vel Adso Abbas, ut nonnulli censent critici.

quoddam ac praeludium erit iudicii Jesu Christi, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, uti aperte a Daniele dicitur et exponit Hieronymus: «*Et iudicium sedebit, ut auferatur potentia et coneratur et dispereat usque in finem* (c. VII, v. 26): Hoc de »Antichristo, id est, de cornu parvulo, quod grandia loquebatur, »quia regnum ejus destruendum sit in perpetuum.» Quod si illa Antichristi destructio initium erit iudicandi, necessum est ut aliquod incertum tempus excurrat, quod non potest uno vel paucis definiri diebus, ut Augustinus docet: «Quod ergo in confessione »ne ac professione tenet omnis Ecclesia Dei veri, Christum de coelo »esse venturum ad vivos et mortuos iudicandos, hunc ultimum »diem dicimus, id est, *novissimum tempus*. Nam per quot dies hoc »iudicium tendatur, incertum est: sed, Scripturarum more sanctarum, diem poni solere pro tempore nemo qui illas litteras, quamlibet negligenter, legerit, nescit. Ideo autem, cum diem iudicii Dei »dicimus, addimus ultimum vel novissimum; quia et nunc iudicat, »et ab humani generis initio iudicavit...» (1).

Ven. Beda (de *Ratione Tempor.* c. 68) ait: «Percusso autem »illo perditionis filio (Antichristo), et aeterna ultione damnato, non »continuo dies iudicii (finalis) secuturus esse credendus est... Post »quantum vero tempus consummatae ejusdem persecutionis venturus sit, nemini prorsus scire conceditur.»

314. His positis, III. partem probemus, id est, quantam, qualemque salutem justus Judex J. C. Ecclesiae sit allaturus. Cardinalis Gotti, inter insigniores O. P. theologos jure laudatus, ait (2): «Sublato, et in infernum demerso Antichristo, nemo »prudens dubitare poterit, quin ejus fautoribus undequaque fuga »elapsis ac dispersis, Ecclesia per universas mundi regiones serenissima pace sit fruitura; et propterea in publicum rediturum ejus »exercitium, et gratiarum actionibus Deo totus orbis personabit... »Aequae tamen incertum est, quantum temporis sit effluxurum a »morte Antichristi ad finem mundi, et diem universalis iudicii, de »quo diversi diverse loquuntur.»

Id quidem universim dicendum, sed enucleari ista singularie oportet.

315. 1.º Liberabit Christus Ecclesiam a tyrannide infidelium et iniquorum, solumque deinde a filiis ejus habebitur civile imperium. Societas hominum sine regimine subsistere nequit, ideoque fiet, ut, decurrente eo tempore ab Antichristi occisione usque in finem, *Regnum et potestas et magnitudo regni, quae est subter omne*

(1) De *Civit. Dei*. lib. 20, c. I.—(2) In 3 part. tract. XV, de *fine mundi*, q. II, d. 7, § 3.

coelum (totius terrae), detur populo sanctorum Altissimi (Daniel, c. VII, 27). Vide quoque S. Joannem (1), et Isaiam (2), et Amos (3): unde ait Ambrosius (4): «Sicut primus adventus Christi propter redimenda peccata, ita et secundus propter »reprimenda delicta, ne plures, perfidiae errore, labantur.»

316. 2.º Eo tempore congregabuntur ad Ecclesiam Judaei omnes, qui non fuerint conversi, et cum Antichristo non perierint.

Etenim, ut probatum est supra (Thes. V), Judaei tandem sunt ad Christum convertendi; atqui Patres et Interpretes SS. Scripturarum communiter docent eos esse Antichristo fidem daturos: ergo, post occisum, ad Ecclesiam aggregabuntur.

317. 3.º Tunc quoque omnes convertendae gentes. *Reminiscuntur et convertentur ad Dominum universi fines terrae; et adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium; quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium* (5). Et in ps. LXXI describuntur quae, veniente Domino ut iudice, accidere debeant: *Benedicentur in ipso omnes tribus terrae; omnes gentes magnificabunt eum*. V. Isai, II, 1-6.

Hieronymus (ea verba exponens Christi *alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili.*) ait (6): «Quando omnia fuerint desperata, »tunc in gentem fortissimam congregabuntur. Quae, licet ex parte »in Ecclesia quotidie videamus expleri, tamen in mundi consummatione plenius complebuntur, et in secundo Salvatoris adventu.» »S. Maximus Taurin. (Homil. 2.ª *Hiemali*) ait: Coruscante Salvatore Antichristus effugatur, nec ulterius poterit disseminare iniquitatis suae tenebras, cum lumen veritatis effulserit.»

318. Gentium omnium, simul cum Judaeis, conversionem Apostolus significavit (7): *Si delictum eorum divitiae sunt mundi, et diminutio eorum divitiae gentium: quanto magis plenitudo eorum?... Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi: quae assumptio, nisi vita ex mortuis?* Quae clare commentans Estius ait: «Si, inquit Apostolus, Judaeorum abjectio per occasionem valuit ad reconciliationem gentium cum Deo: quid dicemus »de assumptione Judaeorum, qua nimirum assumuntur a Deo ad »gratiam Evangelii et ad salutem in fine seculi; nisi quod ea multo magis sit profutura gentibus ac toti mundo ad novitatem vitae ex morte peccati?» Eodem modo S. Chrysostomus (8): «Nam si, inquit, tunc cum impegerunt, tot ex illis (gentibus) salutem nacti sunt; et si cum illi ejicerentur, tot sunt vocati; cogita

(1) Apoc. XX. — (2) II, 1-6. — (3) IX, 11, 12. — (4) In Luc. lib. 10, 17 — (5) Ps. XXI, 28, 29. — (6) In Isai. LX, 22. — (7) Rom. XI, 12, 15. — (8) Hom. XIX, n. 3, ep. ad Rom.

»quid futurum sit, quando illi conversi fuerint. Non enim dixit, »quanto magis conversio eorum, vel mutatio eorum, vel correctio »eorum; sed, *quanto magis plenitudo eorum*; id est; quando omnes »accedent. Hoc porro dixit ostendens, tunc fore amplitudinem gra- »tiae ac doni Dei, ac fere totum dandum esse.» Unde Alapide concludit, eandem sequens literalem et obviam interpretationem: »Si de malo, quod per se adversatur bono, puta, de Judaeorum in- »credulitate, per accidentariam occasionem divina Sapientia tan- »tum elicit bonum... Quanto magis ex bono, quod per se ordina- »tur ad bonum, puta, ex Judaeorum fide et conversione, elicit »idem Deus ingens bonum, puta, gentium in fide propagationem »et confirmationem; ut ita per Judaeos totus mundus ad florentem »optimumque statum, adeoque ad salutem et gloriam aeternam »perducatur? En quam Apostolus facit Gentibus desiderabilem »Judaeorum fidem et conversionem!» Catechismus Roma- »nus (1) de hac gentium et judaeorum conversione intelligit illas Isaiæ praedictiones (c. XLIX, 18; c. LIV, 2-5, et c. LX): nam, cum dicimus, *adveniat regnum tuum*, petimus ut haec compleantur et ad exitum perducantur. Cum igitur ab Apostolorum tempore *mysterium iniquitatis operetur*, et impediatur opus gratiae, dicendum est; Antichristo jam sublato, tunc conversionem Judaeorum et Gentium implendam.

Ambrosius illa Joan. exponens verba (2), *In nomine Patris veni et non me suscepistis; si alius venerit...* ait: «Significans »Judaeos in Antichristum credituros, qui in Christum credere no- »luerunt» (3). Quapropter manifestum est, post Antichristi interitum ea esse complenda, quae a tot prophetis de eorum conversione fuere praedicta; haec autem quam sint praeclara et magnifica, etiam erga Gentes omnes, quicumque vel semel prophetas legerit non ignorat (Vide supra, Thes. V).

319. 4.º Denique, eximia a Christo afferenda salus et benedictio, cum regnum subvertet Antichristi, praeclaris significatur figuris: tum Apoc. c. XIX et XX; tum in Ps. XXI et LXXI; tum Luc. XXI, v. 28: *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

Haec omnia paucis complexus est Augustinus (4): «Nullus »igitur dubitat, per Jesum Christum, tale quale istis sacris Litteris »praenuntiatur, futurum esse novissimum iudicium... In illo ita- »que iudicio, vel circa illud iudicium, has res didicimus esse ven- »turas: Eliam Thesbitem; fidem Judaeorum; Antichristum

(1) Pars IV, de *secun. petit.* n. 12.—(2) V, 43.—(3) In Ps. 43, n. 19.—(4) *De civit. Dei*, l. 20, c. ult.

»persecutorum; Christum iudicaturum; mortuorum resurrectionem; bonorum malorumque diremptionem; mundi conflagrationem ejusdemque renovationem. Quae omnia quidem ventura esse »credendum est: sed quibus modis et quo ordine venient, magis »tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet consequi ad per- »fectum hominum intelligentia. Existimo tamen eo, quo a me com- »memorata sunt, ordine esse ventura.»

SCHOLIA.

I. *De signis Adventus Christi Dni.*

Praecipua Adventum Christi praenuntiantia signa a SS. Litteris et SS. Patribus haec notantur.

320. 1.º Praedicatio Evangelii apud omnes gentes. Nam dixit Christus D. (1): *Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc venit consummatio.*

Communis PP. interpretatio in his certum agnovit instantis Adventus Christi signum; adeo ut, cum plures eorum crederent praedicatum Evangelium ubique fuisse, hinc Adventum quoque Christi instare affirmarent: scilicet, maximam Asiae latitudinem, vastissimas Africae regiones, Oceaniam duasque Americas non agnoscebant. Unde Origenes (2) negabat fuisse ubique praedicatum Evangelium: «Si quis temere dicere vult praedicatum jam esse »Evangelium in toto orbe in testimonium omnibus gentibus, con- »sequenter dicere poterit, jam finem venisse: quod dicere temerita- »tis est magnae, et hominis non intelligentis, quae Paulus ad »Thessalonicenses, epist. 2.ª dicit: *Nequis vos seducat...*» Unde et Suarez (3): «Quocirca inter signa propria futuri iudicii hoc »videtur esse primum (praedicatio Evang. in toto mundo) et ante »omnia implendum. Post impletam hanc universalem praedica- »tionem Evangelii, non multo post, futurum Antichristi adven- »tum, et ultimam Ecclesiae persecutionem.» Cfr. Augustinum, epist. 199 ad Hesychium episc. (a. 80), n. 46.

321. 2.º Magna apostasia, seu a fide discessio. Id Paulus indicat (4): *Ne terreamini quasi instet dies Domini... Quoniam nisi venerit discessio primum...* Et Christus D. (4) significavit: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?*

Hieronymus confirmat (5): «Et ut credas in consummatione »seculi deteriora nobis eventura quam evenerunt Judaeis, audi

(1) Matth. XXIV, 14.—(2) In Matth. XXIV.—(3) *De Incarn.* Pars 2.ª Disp. 56, sec. 2.—(4) II Thes. II, 2, 3.—(5) Luc. XVIII, 8.—(6) In Hierem. hom. 14.

»Salvatorem in Evangelio praedicantem.» Affert aliqua testimonia et prosequitur: «Tantaque incredulitas in universo humano genere futura est, ut Salvator noster loqueretur: *Putas veniens Filius hominis...*» Deinde adjicit: «Si illos (Judaeos) gloriantes esse se olim bonam et de radice Patriarcharum, Abraham, Isaac et Jacob, Christus clementissimus Deus, pro suo merito, eradica- vit; quanto magis neque nobis parcat, si similia fecerimus.» Respicit. nempe, Hieronymus ad ep. ad Rom. (c. XI), ubi de incredulitate Gentilium agit Apostolus et Judaeorum.

Verum, quis non perspiciat ingentem Gentium a vera fide dis- cessionem, eamque quotidie accrescere, ac tantam esse ubique se- ductionem ut in dies necessario magis magisque compleri oporteat? Reges ac principes omnes vel bellum, sub regno Antichristi con- summandum, adversus Christum agunt, vel saltem, Regni Christi jura pro nihilo habentes, agere permittunt.

322. 3.^m Tertium signum, (communiter a PP. notatum) est Romani Imperii extinctio. Et sane, in illis Apos- toli verbis (1) signum istud intellexere PP. plures: *Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis? et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium jam ope- ratum iniquitatis: tantum, ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.* Antequam vero Romanum extinguatur imperium, prius in plura dividendum regna edocuere PP. et Interpretes, tum ex Da- niele (2); tum ex Apoc. (3). Vide etiam Chrysostomum, supra, in II.^a parte Theseos. (n. 311.)

323. 4.^m Aliud signum proximum Adventus Chris- ti erit tyrannicum Antichristi regnum, et tribu- latio illa magna, qualis numquam fuerat, ex generali orta seduc- tione et subsequenti persecutione. Ita Paulus (ibid.): *Nisi vene- rit discessio primum et revelatus fuerit homo peccati, filius perdi- tionis, qui adversatur et extollitur adversus omne quod dicitur Deus, non instabit Adventus Domini.*

Ex dictis autem in II.^a parte Theseos, hoc signum futurum esse, perspicuum est.

324. 5.^m Elias quoque et Henoch adventum prae- cedent Christi.

«Haec assertio, ait Suarez (4), est de fide, aut fidei valde pro- xima.» Et Vega (5), item: «Non posse, absque errore in fide, »negari venturos Enoch et Eliam temporibus Antichristi.»

Et quidem, hos prophetas significari per illos duos testes, de qui-

(1) II Thess. II, 5-7. — (2) II, 40, 41; VII, 23, 24... — (3) XVII, 12. — (4) *De In- carn.* pars 2.^a, disp. 55, sec. 2. — (5) In Apocalyp. XI, comm. V, sec. VI.

bus S. Joannes (1); quemadmodum et Antichristum per illam bestiam quae ascendit ab abyssu; docet D. Thomas cum S. Gregorio (2) et pluribus aliis doctoribus. Quoad Henoch autem dicit Ecclesiasticus (3): *Henoch placuit Deo et trans- latus est in paradysum, ut det gentibus poenitentiam.* Verum quoad Eliam clariora sunt Scripturae testimonia: Malachias enim ait (4): *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam ve- niat dies Domini magnus et horribilis:* de qua re et Eccle- siasticus (5): *Qui scriptus est in judiciis temporum lenire ira- cundiam Domini, conciliare cor patris ad filios, et restituere tribus Jacob.* Verum clare id docuit Christus D. (6): *Elias quidem ven- turus est, et restituet omnia.* Quapropter, quod Joannes, in Spiritu Eliae, in primo Christi praestitit adventu, id ipse Elias praestabit in secundo. Ita Hieronymus in comment. S. Matthaei (c. XI et XVII) et Patres universim. Vide S. Augustinum, qui hunc Eliae adventum inter fidei articu- los credendos refert (n. 318.)

Nota: alia adventus Domini in Evangeliiis notantur signa. Vide Matthaeum (c. XXIV), Lucam (c. XXI), Marcum (c. XIII), Joannis Apocalypsim (c. VI, XVII, et XVIII).

II. De Antichristi notis.

325. Primum notandum, quod inter Auctores non conveniat, futurus ne sit Antichristus physica vel moralis persona. Quod per- sona erit particularis significare videtur Apostolus (7), dum ab eo appellatur; *homo peccati, ó ἀσεβητος; filius perditionis, ó υἱός; ille iniquus, ó ἀνομος.*

Quod, è contra, moralis futurus sit persona, innui videtur cum ipse Apostolus ait; *mysterium jam operatur iniquitatis,* (ibi v. 7.): Et S. Joannes ait (8): *Omnis spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est; et hic est Antichristus, de quo audistis quoniam ve- nit, et nunc jam in mundo est.* Et rursus (3): *Filioli, novissima hora est; et sicut audistis quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt: unde scimus quia novissima hora est... Hic est An- tichristus, qui negat Patrem et Filium.*

In Apocalypsi (9) depingitur Antichristus tamquam horribilis bestia, septem habens capita et decem cornua: quid sint autem cor- nua, ipse explicat Joannes, nempe: esse reges terrae bellum adversus Agnum moventes. Haec autem personam quamdam mo- ralem, sectam, seu iniquam societatem aperte significant. Commu-

(1) Apoc. XI, 3, 7. — (2) Moral. I, 9, c. 3. — (3) XLIV, 16. — (4) IV, 5. — (5) XLVIII, 10. — (6) Matth. XVII, 11. — (7) II Thess. II, 3, 8. — (8) I Jo. IV, 3. — (9) Ibid. II, 18, 22. — (10) C. XIII, XVII.

nus tamen PP. et interpretes personam quamdam singularem intelligunt nomine Antichristi.

326. Utraque admitti potest opinio nisi *exclusive* intelligatur. Si enim sola singularis foret persona, non elucet, quomodo adeo crudelem et universalem adversus christianos moveret persecutionem: ideoque necessario concedi debent *antichristi multi*, ut loquitur S. Joannes, sub uno capite Antichristo. Si vero excogitemus formidabilem sectam, vel sectarum consortium, cui reges erunt addicti, uti cornua capitibus bestiarum, quarum sunt arma et instrumenta; quemadmodum ipse Joannes (1), Antichristum exhibet; tunc etiam caput aliquod supremum, vel praeses summus, cui omnes volentes, vel nolentes, pareant, concedere oportet. Ubi enim est multitudo caput aliquod unum, vel de jure vel de facto, necessarium est; praesertim, si multitudo aggregatio sit iniquorum, qui, nisi tyrannica intercedat potentia, nullatenus convenire inter se valent.

327. 1.° Primus Antichristi character (sive moralis, sive physica fuerit persona) erit insignis ejus iniquitas, ita ut omne jus susque deque se posse subvertere existimet. *Putabit quod possit mutare tempora et leges* (2): ὁ ἄνομος, ait Apostolus; *ille iniquus*, seu, *sine lege*.

2.° Secundus erit impietas, seu odium in Deum; ideoque in quamlibet religionem, praecipue autem in veram, id est, Catholicam; qua de causa nomen ejus propheticum est, Antichristus. *Extollitur se supra omne quod dicitur Deus* (3). *Sermones contra Excelsum loquetur* (4). *Aperuit os suum in blasphemias ad Deum* (5).

3.° Character quoque Antichristi futurus est, magna imperii ejus latitudo. *Data est illi potestas in omnem tribum et populum, et linguam et gentem*; ajunt S. Joannes (6), et Daniel propheta (7).

328. 4.° Omnem potestatem, etiam religiosam, sibi arrogabit, et summum obsequium, seu cultum, sibi deberi contendet: *Ita ut in templo Dei sedeat*; ecce summam in religione auctoritatem, (el Estado Dios): *Ostendens se tamquam sit Deus*, en supremum cultum (8). Item (9): *Faciet ut quicumque non adoraverint imaginem bestiae occidantur. Faciet omnes habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis; ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem*,

(1) Apoc. XIII, XVII.—(2) Dan. VII, 25.—(3) II Tes. II, 4.—(4) Dan. VII, 25.—(5) Apoc. XIII, 6.—(6) Ibid. 7.—(7) VII, 23, 24.—(8) II Thessal. II, 4.—(9) Apoc. XIII, 15-17.

aut nomen bestiae, aut numerum ejus. A fortiori summam docendi auctoritatem sibi Antichristus vindicabit, nec aliud nisi ab eo procedens patietur magisterium.

329. 5.° Alius erit Antichristi character, quod primum per seductionem et hypocrisim prosperebitur, deinde autem vi et coactione omnes sibi subjiciet. *Quasi oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia* (1). *Datum est ei os loquens magna* (2). *Cujus est adventus (initia dominationis) in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent* (3). His innuit Apostolus, quid et qualia reapse futura sint illa *magna*, illa *ingentia* quae os Antichristi loquetur; stultis scilicet, vanis, mundanis, incredulis, erunt *magna*; ideoque post Antichristum adibunt allekti magnis vocibus *scientiae, dominationis, indefiniti progressus, divitiarum, fraternitatis universalis, aequalitatis omnium, libertatis*, etc. Ad haec accedent prodigia mendacia *secundum operationem Satanae* (4), *ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi*. Etenim illa jam adeo evulgata spirituum infernalium evocatio, quae antiquum hisce temporibus suscitavit Paganismum, ad regnum Antichristi nunc viam sternit, et postea majoribus prodigiis omnes, *qui pereunt*, eidem subjiciet. Illud vero: *Quasi oculi hominis*; clare indicat ementitam philanthropiam, et rationalismum, quibus bestiales suos sensus, quasi foliis, velabit Antichristus. Nam quia se, merum hominem, Deum esse contendet, non poterit nisi talia proferre, quibus hominis naturam super-exaltet. «Si autem oculi hominis, ne mireris: etenim talia loquitur. Homo est;» Chrysostomus ait (in Dan.). Damascenus autem: «Atque in regni quidem sui, vel tyrannidis potius, praeludiis, bonitatis speciem prae se feret, (libertatem, »fraternitatem praedicando.) Cum autem rerum potitus fuerit, tum »vero Ecclesiam Dei persequetur, perversitatemque suam omnem »depromet» (5).

330. 6.° Denique adjuvabitur Antichristus ad suam erigendam tyrannidem a pluribus falsis prophetis, id est, hypocritis hominibus; qui spiritum evangelicae mansuetudinis effingentes, et revelatam veritatem adulterantes, stultos et timidos sub illius ditionem perducent: praetextentes, scilicet, humilitatem, mansuetudinem, charitatem erga omnes et tolerantiam, et vitandi majora mala necessitatem. Ideo B. Joannes, (6) sub figura bestiae, cornua duo habentis si-

(1) Dan. VII, 8.—(2) Apoc. XIII.—(3) II Thess. II, 10.—(4) Ibid. 9; et Apoc. XIII, 14; Matt. XXIV, 24.—(5) L. 4, *Fidei*, c. 27.—(6) Apoc. XIII, 11.
THEOL.—Tom. II. 33

milia agni, hos falsos prophetas descripsit: «Quia per hypocrisim »sanctitatis eam, quam in se veraciter Dominus habuit singularem, sibi inesse, et sapientiam mentitur et vitam. Ista bestia, id »est, praedicantium multitudo, si aperte loqueretur, agno similis »non appareret; sed assumit agni speciem, ut draconis exerceat »operationem.» (D. Greg. l. 33, Mor. c. 36).

331. 7.^o Eo tempore Antichristi, reges adeo vilescent ac depravabuntur, ut ei subdantur, fiantque ipsius instrumenta ad expugnandam Christi D. Ecclesiam. Hinc reges illi a S. Joanne (1) cornua Bestiae seu Antichristi appellantur: *Decem cornua, quae vidisti, decem reges sunt... Hi unum consilium habent, et virtutem et potestatem suam Bestiae tradent. Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos; quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum... Et decem cornua, quae vidisti in Bestia, hi odient fornicariam, et desolatam facient illam, et nudam, et carnes ejus manducabunt, et ipsam igni cremabunt.*

332. 8.^o Probabilis admodum est quoque Regni Antichristi character, quod super Romani Imperii ruinas struetur. Plures id docent PP. Uti S. Chrysostomus (2): S. Hieronymus etiam (3); «Ergo dicamus »quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt: in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem »futuros reges qui orbem Romanum inter se dividant, et undecimum surrecturum esse regem parvulum, qui tres reges de decem »regibus superabit... Quibus interfectis, etiam septem alii reges »victori colla submittent... Est homo peccati, filius perditionis, »ita ut in Templo Dei sedere audeat faciens se quasi Deum.» Haec et probat Augustinus (4). Martyr autem et ep. sanctus Hippolytus (5) ait: «Cum prope conciderit imperium hoc, sive »etiam in contemptum abierit, et in decem diademata resolutum »sit; tunc Antichristus velut ipsum curaturus ac renovaturus sit.» Sic quoque Auctor sapiens et eruditus tertii vel quarti seculi, in ep. 2.^m ad Thesal. c. II; (inter Ambrosii opera).

(1) Apoc. XVII, 12, 13.—(2) Supra, n. 303.—(3) In *Daniel*.—(4) *De Civit. Dei*, l. 10, c. 19.—(5) *Demonstr. de Christo et Antichr.* n. 49.

CAPUT V.

De Incarnationis necessitate, et Christi cum ordine rerum connexionione

333. *Nota.* In I hujusce synopsis capite, extrinsece, et quasi ante vestibulum, divinae sapientiae domum, Christum, scilicet, contemplati sumus, prout de Eo locuti sunt prophetae. In II autem et III superne seu a priori, per causas nempe, tum intrinsecas tum extrinsecas, celsitudinem operis, quod in *brachio suo* divina complevit Potentia suspeximus. Deinde, in IV capite, Filii Dei exquisivimus cognitionem a posteriori, seu per effectus, tum particulares tum generales, ad quos Illius perfunditur virtus et perfectio. Superest, ut de Christo D. aliquid disseramus, quatenus, ex divina Oeconomia, cum universo rerum ordine connectitur.

ARTICULUS I.

De Incarnationis necessitate.

THESIS LXXVIII.

Conveniens fuit Incarnationis mysterium, non autem absolute necessarium, sive metaphysice, sive moraliter.

334. I.^a Pars clare patet ex iis, quae, supra (Thes. XLVII et XLVIII), agentes de causa finali Incarnationis diximus.

Hoc tamen notandum, quod convenientia de qua agitur non est quasi *Incrum* concipienda, seu bonum aliquod, quo Deus intrinsece accrescat; est enim *Summum bonum*, et quodlibet aliud bonum est illius summae bonitatis participatio; sed ut bonum extrinsecum summe dignum, quod Deus in eo efficaciter complacuerit. Ad rem Augustinus (1): «Cujus bono in tanta humilitate venit tanta »sublimitas? Nullo utique suo; sed magno, si credimus, nostro.»

Adversus hanc primam partem non nullae urgent difficultates, paucis solvendae.

(1) Serm. 185 (a. 62, de divers.) c. I.